



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Digres. 2. Qua hæ Aristotelis argumentationes expenduntur, ad tex. com
7.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

hac rerum vniuersitate continentur, intelligere: A
 preter quæ & eorum qualitates nullum aliud sit aut
 corpus aut qualitas, quæ aut sensorii aut obiectum
 esse queat. Quamobrem cæleste quoque corpus
 rectè Simplicius comprehendit; quoniam ipsum
 sensibile est, sensibileq; qualitates habet; lumen præfer-
 tim, quod oculis ipsis percipimus, cuiusque benefi-
 cio & ope inferiorum quoque corporum colores
 cernimus.

Porro non esse plura corpora, nec sensibiles plures
 qualitates, manifestum est. Nam præterea, quæ in
 posteriori de ortu & interitu libro de quaternario
 elementorum numero tradita sunt; si corpora
 omnia examines, aut vnum sunt ex illis quatuor
 simplicibus, aut aliud ex illis permissum. Et rursum
 si sensibiles qualitates singula singularum corporum
 perquirantur, nullam reperias, quæ quinque sen-
 suum aliquo non perferatur. Propterea in huius
 propositionis probatione immorandum sibi non
 esse dicitur Philosophus; cum certum esset, nullam
 obijci aduersario posse.

DIGRESSIO II.

Quæ hæc Aristotelis argumentationes
 expenduntur.

SI vniuersa Aristotelis probatio hæcenus expli-
 cata in summa capita referatur; ea triplici constat
 argumentatione: quarum vna ex medijs, altera ex
 sensorijs, tertia ex obiectis deducta est. Quibus si
 addideris eam, quam ex vitæ nostræ perfectione
 Simplicius hausit, quatuor omnino fuerint. Quæ
 ex medio ducitur, principio duplici sustentatur.
 Altero, sensum omnè operari per medium. Altero,
 medium illud aptum & accommodatum esse debe-
 re ad suscipiendum sensuique reddendum motum
 ab obiecto factum, si sentire est pati atq; ab obiecto
 moueri. Quæ verò ex sensorijs, tum ex eo vim ha-
 bet, quòd omnis sensus organica facultas est, nec si-
 ne organo operari potest: hique ipsi sensus, quos
 nominamus, singuli singula sibi propria sensoria obri-
 nent. Tum ex eo, quòd inter cuiusque sensus sensorij
 & medium, per quod ad illud deducitur eius
 obiectum, magnam oportet proportionem & con-
 uenientiam esse. Quippe sensorij moueri debet
 per medium, & eorum vtrumque sensibiles obiecti
 actum suscipere; qui per medium ad sensorium
 traiciendus est. Quod nequaquam fieret, aut certè
 non sine vi, nisi eiuſdem essent aut naturæ aut quali-
 tatis. Postremò (Simplicij enim argumentationem,
 est sui vi probandi non careat, nunc prætermittam)
 ea, quæ ex obiectis ratiocinatur, principium illud
 sequitur; Facultates esse propter obiecta totamque
 suam naturam & distinctionem ex illis sumere.

Ex quibus facile quis intelligat, quam sapienter
 in hac re confirmanda summus Philosophus egerit;
 quamque certis eam ac necessarijs argumentis de-
 monstrauerit. Quæ si cum Platonica argumen-
 tatione illa conferantur, quam in huius libri commen-
 tario primo Philoponus adfert, quantum demum
 interent? Nam quæ tandem est illa deductio?
 Quinq; sunt simplicia corpora, elemèta quatuor, &
 quintu cæleste corpus; quinque item figuræ solidæ,
 Pyramis, cubus, octo laterum, duodecim laterum,
 & viginti laterum; quinque igitur sunt sensus. Quis
 sapientem philosophum ita colligentem ferat?

Quæ enim est istæ antecedentis & consequentis,
 figurarum sensuumque connectio?

Tribus tamen modis fuit Aristoteles reprehens-
 sus. Primum à Iamblichò, vt in comment. primo
 Simplicij testatur: quòd animalium inductione
 numerum sensuum probauerit: cum tamen ani-
 malia existant plurima, tum cælestia, tum damo-
 nes: quorum illa melioris sensus sint, quàm hæc
 mortalia. Siquidem imparibili sensu, qui quæ à se-
 ipso excitecur, prædita sint. Hi verò Platonico-
 rum sententia sensu item vrantur. Deinde à S. Thoma
 in prima Theologicæ summæ parte quæst. 78. art. 5.
 quòd cum facultates non sint propter sensoria aut
 media, sed hæc potius propter illas; minus accom-
 modatè ex sensoriorum aut mediòrum numero fa-
 cultatum numerus concludatur. Tum demum à
 Hieronymo Cardano ad initium 13. de subtilitate
 lib. quòd in vniuersa hac re demonstranda commu-
 nibus assumptionibus vsus sit.

Iamblichò responder. Simplicius, Aristotelem
 nequaquam inductione vsu fuisse, sed firma pro-
 fus ratione ex vitæ perfectione sensorijque posita.
 Deinde cælestium atque adeò demonum sensum
 alterius ordinis esse, neque cum nostris hisce com-
 memorandum. Sicut nec communem, qui in nobis
 est, sensum cum exterioribus quinque numeramus,
 est cum illis coniunctus sit. Tum verò illorum sen-
 sum minime à nostris diuersum esse natura; cum
 circa eadem sensibilia obiecta versetur. In qua re-
 sponse mirari primum, possumus tacite quo-
 dammodo fuisse concessum cælestium sensum im-
 patibilem esse. Etenim omnis sensus, immò facultas
 omnis cognoscendi, facultas patendi est: cum nil
 aliud sit cognoscere, quam in seipsum transferre
 obiectum illiusque formam sine materia suscipere.
 Deinde illa duo non satis constare videntur: sen-
 sum illum cum nostris numerandum non esse: &
 rursum eum à nostris minime diuersum esse. Certè
 si ille agendi solum facultas est; non patendi,
 quemadmodum noster, omnino ab eo diuersus est.
 At negandum profus erit cælestibus vllum aut da-
 monibus inesse sensum; vt cap. 71. huius ipsius libri
 pulchrè demonstrauit Themistius. Verùm hac dis-
 putatio alio loco definita est.

Iam S. Thomæ argumentationi respondebo: est
 sensoria propter facultates facta sunt, quemadmo-
 dum id, quo vtitur, propter id sit, quòd ea vsurum
 est: & vt etiam demus, media quoque propter
 easdem per illa operaturas parata fuisse (licet id for-
 tasse non omni ex parte verum sit.) Confectum
 tamen est Philosophis à posteriori & ex effectu ad
 causam & id, quòd prius est, ratiocinari. Sic enim
 Aristoteles cum à priori quasi argumentum princi-
 pio sumpisset ex sensibilib. obiectis, vel, vt Simplicio
 placuit, ex animæ vitæ perfectione, quæ sensuum
 omnium principium exiit: sapientissimè ex orga-
 nisitem, quæ notiora nobis sunt & sensibus ipsis
 comprehenduntur, ad incognitos & latentes sensus
 ratiocinatus est. Quæ argumentatio certissimo, vt
 dixi, principio nititur; Sensum facultatem esse cor-
 poream, quæ sine corporis organo subsistere nequeat.
 Vnde consequens est, nullum in animalib. sensum
 esse posse, qui non habeat organum, & quidem sibi
 proprium. quia si propria quædam & ab alijs diuersa
 facultas sit; vt propriu sibi habet operandi modum,
 propriumque obiectu; ita proprium quoque quo
 vtatur, organum habere debet. Ex medio etiam
 optimum fuit argumentum, propter necessariam



inter medium & sensum connexionem, qua sensus omnis medium aliquod postulat. Quare si nullum aliud sit medium, verè licet concludere nec vllum alium esse sensum.

Ad 3. Postremò Cardani sententia iniqui planè aut minus singula pensitantis iudicis est. Nam quo modo communib. assumptionib. vtiaturis, qui ex obiecto de facultatib. in priori argumentatione, ac rursus ex organo & medio de facultate suapte natura organica, quæq; aliquo semper indigeat medio, ratiocinetur? Quid magis intimum & essenziale facultati, quàm obiectum? Quid facultati organice necessarium magis, quàm organum? Quid sensus magis proprium, quàm sensorium & medium? Immo quidquid præter hæc de sensu dixeris, extrinsecum erit, alienum erit, commune erit.

Sed age, quàm accommodatè quàmque ex propriis, tum S. Thomas, tum Cardanus id demonstrèc audiamus. Iamblicus enim aliena reprehendere satis sibi gloriosum duxit. Ergo ita S. Thomas ratiocinatur. Sensus facultas patendi est, ab exteriori obiecto sensibili immutari apta, & quidem immutatione spiritali per intentionalem obiecti speciem. Namq; si sola naturalis immutatio satis esset, plantæ quoq; & inanima corpora sentirent, dum alterantur. At spiritalis alteratio quinq; duntaxat modis fieri potest. Nam aut est sola spiritalis immutatio, vt in aspectu: aut si cum spiritali sit naturalis quoque ea est in obiecto, aut in organo. Si sit in obiecto, aut est cum motu locali, vt in auditu; cuius obiectum ex aëris percussione & motu gignitur: aut cum alteratione, vt in odoratu, cui odor alteratione excitatur. Sin autem sit in organo, hoc demum in tactu & gustatu evenit. Sed in tactu ea mutatio fit ab illa ipsa qualitate, quæ proprium illius obiectum est: In gustatu autem non à proprio illius obiecto, hoc est à sapore, sed ab adiuncta qualitate, humore scilicet, cum quo gustatur sapor. Neque præter has alia potest esse alteratio. Quinque igitur hi solùm sensus sunt.

Consi-
74179.
Quæ ratiocinatio plurimum sanè illius auctori probata est, atque hoc loco in commentario ad tex. 135. repetita. Multis tamen modis peccare videtur. Primum enim in re omnibus certa principium incertum ac dubium accipit, & vt permulti sentiunt, etiam falsum; Ab obiectis sensibilibus intentionales effluere species. Cùm tamen ad rem certam magis ostendendam medio item omnibus certo & verò etiam certiore vti debuisset. Deinde sensus omnes vult per species hæc sentire. Cùm tamen in tactu & gustatu, plerumq; etiã in odoratu & auditu, naturales ac reales qualitates in sensorii suscipiantur: quæ cùm adsint, frustra intentionales cogitantur. Tum verò deductio illa (si sola naturalis immutatio satis esset, corpora omnia sentirent, dum alterantur) Aristoteli minimè consentanea est, qui in text. 124. lib. 2. non solum plantas docuit non sentire, dum calefiant aut refrigerant, quòd oportuna corporis temperie prædita non sunt: Verùm etiã quòd principium & facultatem sentiendi non habeant. Multò minus inanima corpora sentiunt, quæ nullã prorsus animæ partè obtinuerunt; Etsi intentionalis quoq; mutatio accedat: Quemadmodum absque sensu species illæ in aëre suscipiuntur. Postea naturalè omnè immutationè immeritò aspectu præripit, qui à reali luminis qualitate afficitur, siue lucidum quid, siue coloratum videndum sit. Nihil sine lumine videtur: nec sine alteratione, actione, & passione pro-

A ducuntur colores. Neq; omittendum fuit medium, cùm naturalis immutationis partio fieret. Non solum enim in obiecto aut organo, sed & in medio ea fit, ut locali motu in sono & odore, ut alteratione in lumine quoq;. Præterea alterationes illæ omnes localisq; motus nullam per se vim in sensibus constitutendis habent, sed ex accidenti sunt. Etsi enim propterea requirantur, vt sensus obiectum probocatur, aut etiam ad sensum perueniat: nihil tamen conferunt, vt obiectum sensibile sit aut sensum quispian constitutatur. Denique vt triplex factio alteratio, sic triplex poni poterat localis motus, vt obiecto, in organo, & in adiuncto quoquam. Præterim medium taceam, in quo tum alterationem iam dixi, tum localem motum fieri. Quin etiam in obiecto simul & organo alterationem addiderat quispiam.

Iam verò ex fine Cardanus præclarum scilicet & diuinam quandam probationem instituit. Sententia inquit, salutis nostræ gratia sunt. Quæ autem rebus occurrunt, si proxima sint & exterius incidunt, eorum gratia tactus est. Si intus assumuntur, ea obiecta explorare satis est. Si autem remota existant occurrant autem, vt fugere possimus cùm directè obuiant, visu prævidentur: Cùm autem ex obliqua, aërem mouere coguntur & strepitum facere, cuiusmodi præficitur. Manifestum igitur est quinque sensibus nobis atque animalib. perfectionibus potuisse. Sextum autem si natura constituitur, nulli futurum.

Principio dum ex solo sine argumentum præ sapientis philosophi, qui causas omnes perquirere debet, minus absolute officium explet. Deinde intimas ipse causas prætermittens & extrinsecam solam & remotam perquirens, inique Aristoteli reprehendit, qui ex intimis rem eandem coniecit. Ex formali inquam, cùm ex obiectis sensibilibus, quibus facultatum natura constituitur ac definitur: materiali, cùm ex organis, quæ facultatum subiectum & vclut materia sunt, argumentatus est. At si tantopere placebat finis, an non Aristoteles, dum obiecta proposuit, propter quæ sensus constituitur & animalibus insit, proximum & intimum finem persequutus est? Ita sanè iudicauit Auertoteli comment. 129. & firmissimam omnium rationem esse prædicauit. Hic enim finis vna & eadem res est cum forma, vt est in textu 70. lib. 2. Physic. & textu 36. superioris huius operis libri. Vter igitur ex communibus & à rei natura remotis magis sibi videtur demonstrasse? Verùm omittenda non fuit delectatio. Nam propter hanc quoque animalibus constitutos datos fuisse sensus: ex eaque id, quod quærebatur, perinde Cardanus confecisset. Quippe nullum est corporis delectationis genus, quod quinque sensuum quoquam non percipiatur. Multo minus prætermittendus intellectus, propter quem tanquam famuli & præcursores in homine animali supremo facti sunt sensus omnes, vt faciem illi quodam modo præferrent. Hic quoque corporum omnium cognitionem abundè illi subministrant. Verùm tandem arte sensus quinquem Cardanus colligit, quoniam in argumentatione quatuor solum nominatè, tactum, odoratum, aspectum, auditum; Nihil esse in consequenti colligendum, quod non fuerit in antecedenti positum, dialecticorum vbique subtilitatem perstreperunt. At gustatum à Cardano nominatum non video: quin potius exclusum, cùm cibos odoratu satis explorari dixit. Atqui hoc ipsum falsum est.

Communia sensilia per se sentiuntur.

quidpiam sit vnius proprium, non nisi ex accidenti alterius sit. Nam si huius quoque proprium esset, prioris vtique illius non esset proprium: immo neutrius, sed vtique commune. Communia porro sensilia non ex accidenti, sed per se quinq. his sensibus sentiuntur, ex motu ostenditur, quem inferunt sensui. Quæ enim ex accidenti sentiuntur dicuntur, non ideo sentiuntur affirmantur, quod sensum afficiant, sed quod cum eo, quod afficit & per se sentiuntur, coniuncta sint. At communia omnia motu sentimus. Quia non solum à calore permouetur aspectus noster, sed ab illius quoque magnitudine, figura, motu, quiete, numero. Nam aliter afficitur à magno aut paruo obiecto, aliter ab acuto vel obtuso, à moto aut quiescente, à pluribus vel vno. Atque hoc à propriis obiectis differunt, quod hæc vnicum, illa plures sensus mouere queunt. Non igitur ex accidenti, sed per se sentiuntur. Ac rursus si per se sentiuntur, non ergo propria vllius sensus obiecta sunt. Itã tum ab iis, quæ ex accidenti, tum ab iis, quæ propriè, sentiuntur communia sensilia differunt. Ab iis quidem, quæ ex accidenti, quod communia per se sensilia sunt. A propriis autem, tum quod hæc vnicò sensui, pluribus illa aut omnibus, percipiuntur. Tum quod est ambo per se comprehenduntur, illa tamen primario afficiunt sensum, hæc secundario, velut modi & conditiones necessariò illis adiuncta: perque sensilia propria, tanquam causas: vt non tam sentiuntur, quam simul cum propriis sentiuntur dicenda sint.

Per se sensilia quid sit.

Vniuersè autem sentiuntur per se nihil aliud est, quam ideo sentiuntur, quia sensus ab obiecto afficiatur permoueatutque. Quod tribus modis fieri videtur. Primum cogèdo aut dissipando sensorium. Deinde actum suum, lumen, sonum, odorem, saporem, qualitatem tactilem, illi imprimendo. Postremò quatenus anima ab obiecto excitatur, prouocatur, atque ad actionem suam promendam determinatur. Sentiuntur verò ex accidenti est, non ideo sentiuntur, sed quod cum eo, quod afficit aut mouet, coniunctum sit.

TEXTVS.

Ταῦτα ἴδη πάντα κινήσει ἀφορανομοία. οἷον μεγέθος κινήσει, ὡς καὶ τὸ σχῆμα, μέγεθος ἴδη ἢ τὸ σχῆμα. ἢ δὲ ἡρεσίαν, τὴν μὴ κινήσει, ὡς δὲ τὸ ἴδιον, τὴν ἀπορροίαν, τὴν αἰσθητικὴν καὶ τὴν ἰδίαν, ἕκαστη ἴδη ἐν ἀφορανομοίᾳ.

Hæc enim omnia motu sentimus. Vt magnitudinem motu. Quare & figuram. Magnitudo enim quedam & figura. Quiescens autem eo, quod non moueatur. Numerus autem negatione continui, & propriis. Vnus quæ scilicet enim sensus vnum sentit.

COMMENTARIVS IX.

Communia sensilia per se sentiuntur.

Verum ita esse, communia inquam non ex accidenti, sed per se sentiuntur, commemoratione explicatur. Magnitudo motu quopiam sentiuntur, quia cum qualitas, quæ sensile proprium est, in magnitudine quopiam extensa semper consistat, dum qualitas extensa mouet, simul magnitudo tanquam illius modus mouet. Hunc enim motum nunc nominat: eum scilicet, qui ab obiecto infertur sensui. Quod si magnitudo motum quempiam habet, habebit item figura, quæ magnitudo quedam est: magnitudo inquam hoc aut illo modo finita & terminata. Vnde intelliges magnitudinem non eam appellari, quæ in omnibus sensilibus propriis inest (quidquid Philo-

ponus dicat) sed eam, quæ est in quantitate. Nam hæc sensile commune est, atque in hac sola consistit figura. Deinde non ineptè etiam obiter collegimus figuram esse idem re cum quantitate: quippe quantitas quedam esse dicitur.

De quiete, quæ motus priuationem significat, sensilitas maior. Quoniam priuatio & non ens neque mouetur nec mouere sensum: sicut nec tenebræ actum mouent. Quam exponentes Auerosius & Thomas cum quietem dixerint ex motu comprehendendi, sicut tenebræ ex luce, & vnaqueque, prout ex habitu: Plutarchum sequenti videntur, qui per dicitur sententiam; Quietem per comparationem ad oppositos motus cognosci. Sed animaduertendum poterant cognitionem hanc rationem solum constare: neque ad sensum sed ad intellectum pertinere. Deinde ita fore, vt quies non sit sensile per se: siquidem nulla priuatio mouet sensum: & ideo ipsomet Aueroë consentiente in communi ex accidenti sentiuntur. Tum vero hunc motum non esse eum, de quo hic Philosophus loquitur. Nota enim de illo agit, quod sensile corpus moueri potest: verum de eo, quod sentiens ab illo afficitur, quodque omnia dixerat motu sentiuntur. Propter ea etiam oportet quietem eum non nominasse, sed quiescens: non inquam priuationem, sed corpus ipsum velut habitum motu priuatum. Quod nimirum afficitur.

At quoniam modo quiescens illud cognoscitur? Quatenus eodem semper modo & absque variatione ac (vt Philoponi vtar verbis) affectione nec aucta nec diminuta, mouet sensum. Quod enim mouetur, alio atque alio modo subinde mouet, illius motu affectione aucta vel diminuta. Itaque verba illa (quiescens autem, eo quod non moueatur) si cum Simplicio intelligas quiescens sentiuntur motu, non quo ipsum moueatur, sed quo sensum moueat, extensa erit sententia: neque rationem propriam, qualiter quietem, indicabis. Optime autem interpretaberis, tationemque significabis; si quiescens sentiuntur dixeris, quod non moueatur, hoc est quod immortum permaneat & in eodem persistens loco eodem semper modo afficiat sensum. Ita tum exponitur modus, quo quiescens sentiuntur: tum illius causa ostenditur. Modus est, eodem semper modo afficiendo; Causa, non moueri, sed in eodem stare loco: sensusque eodem modo ab obiecto affectus illud sentiunt, vt in eodem loco quiescens. Fauet illud sententia lib. Phys. tex. 73. quo quiescere id dicitur, quod immutabiliter se habet nunc & prius. Non enim cum de sensilibus obiectis est sermo quietem oportet intelligere priuationem motus; quia priuatio sensilis non est. Sed id, quod velut materia est; corpus scilicet permanens eodemque modo se habens, quod per dispositionem permanentem afficit sensum.

Iam numerus negatione continui cognosci dicitur. Negationis nomine priuatione ne intelligas, Auerosius roem fortasse sequutus. Tum propter eandem causam sensum, quæ in quiete dicta est. Tum quia, vt vnum, ita & numerus motu sensum, ac per se sensilis est. Sed hic quoque negatio materiam tibi significet, vnitatemque non continuatam nec inter se copulatam. Vt enim seorsim singule, quemadmodum homines finguli, equi, aut lapides; ita & omnes simul permouere sensum possunt. Hic est numerus, qui negatione cognoscitur: non quatenus vnitatum collectionem in vnam quandam formam & speciem numeri continuitatiue negatione significet: sed vt multæ vnitates sunt, multæque sensilia corpora simul collecta & simul

Dialectica

molitum est, verè concludit, ea non esse vilius sensus propria, & idè nullum esse alium sensum. Quoniam enim si ita esset, ea, vt dictum est, nullo modo sentirentur à nobis per se ac per motum in sensum factum: sed solum ex accidenti, sicut Cleonis filium videmus.

Quæ verba superioribus aduersari videntur, quibus fore dixit, vt sentirentur sicut ab aspectu sentitur dulce. Sed quatuor modis respondere licet. Primum dicere possumus, duos eum modos proposuisse, quibus ex accidenti quidpiam sentitur: & ita proposuisse, vt si prior aduersario non probaretur, alter, qui solus supererat, necessarîo admittendus esset: sin minus iniquis, nullo vtique modo, nisi quemadmodum Cleonis filium, sentirentur. Propterea nunc posteriorem hunc repetit, non quasi potiorè & veriorè, sed vt eum, qui à proteruo & insciente aduersario, qui meliorè repudiet, necessarîo admittendus sit. Hoc verba illa significant (ita vt dictum est) eodem scilicet modo, quo Cleonis filium secundo loco proposui illi, qui dulcis aspectum non probasset. Deinde dicemus, duos ex accidenti sensibiles modos nominatos fuisse: sed posteriorem solum appellatum ex accidenti, quoniam absolute & sensui vniuerso, non vni alicui sensui, accidit. Ideo communi nunc iniquis non habere nos sensum ex accidenti, modum illum repetit, quam ex accidenti nominauerat. Tum verò Cleonis filium affirmabimus tribus modis considerari posse. Primum quatenus substantia quædam est, aut accidentibus, quibusdam affectibus, quæ sub nullo sensum cadunt; vt filiationis relatione: philosophia, musica, vel alterius discipline aut artis habitus. Deinde quatenus pluribus sensibus accidentibus constat, quæ distictorum sensuum sunt, colore, odore, lenitate, asperitate, mollitudine, & qualitatibus aliis tactilibus. Postremo quatenus vtriusq; generis accidentium, tum sensuum, tum non sensuum, & verò etiam substantiarum, congeriem & cumulum habet. Quare respondebimus, eum antea quidem primo modo consideratum fuisse, vt alia sensibiles ex accidenti acceptio doceretur. Nunc autem secundo vel tertio modo spectatum nominari. Si secundo, vt priorem illum modum magis accommodatum significaret; quo id vno sensu ex accidenti sentitur, quod alterius sensus proprium est. Sin tertio, vt simul & exemplo vniuerso modum vtrumque antea significatum comprehendere; & vniuersè diceret, nullo modo nisi ex accidenti communia sensibilia fore sensibilia, vtrumvis aduersariis modum elegisset. Quare vt Cleonis filium intuentes nihil per se videmus nisi colorem; ex accidenti autem primo modo odore eius, lenitatem, mollitudinem, humiditatem, calorem, & huiusmodi alias sensibiles qualitates: atq; ad eò secundo modo hominem, filium, philosophum, musicum, statuarium. Ita magnitudinè cerneremus, figuram, motum, aut quietem, numerum, vel vnitatem.

Verum illud tandem intelligendum est, probationem, quæ postremis illis verbis continetur (nullo enim modo sentirentur, sed ita vt dictum est Cleonis filium nos videre) non ad idem pertinere, vt Philoponus, Simplicius, Auerroës, S. Thomas, & alij crediderunt, ad quod antecesseris verbis illis comprehensa referebatur. Quorsum enim eandem rem tam breui oratione repeteret? Sed antea quidem ostendit sensuum communium proprium sensum non esse, quia reliquis sensibus ex accidenti sentirentur. Nunc autem non hoc confir-

A mat: sed id, quod postea subiunxit, sensuum communium communem nos habere sensum, non ex accidenti. Ad hoc enim probatio ea retocanda est, non ad postrema & proxima verba (non igitur sunt propria.) Ac rursum communia illa sentiri non ex accidenti, nequaquam contra aduersarium probat, qui sensum illorum proprium poneret: sed absolute & comparatione horum duntaxat quinque sensuum, quibus ea iam sentimus. Immo tanquam probatum supponit, nullum esse illorum proprium sensum. Probatio autem est: quoniam si ea ex accidenti sentirentur, sentirentur planè vt dictum est Cleonis filium nos videre: hoc est ex accidenti profus, sicut in textu 65. antea citato Diaris filium, hoc est consensu omnium substantiarum, vel id quod nullo modo per se sensibile est, ex accidenti dicebatur sentiri: quippe cum alius non sit sensus, quo per se sentiantur, nequaquam sentirentur à nobis, quemadmodum aspectus dulce, sed vt Cleonis aut Diaris filium. Itaque cum antea propositionem eam directè probasset, quoniam hæc sensibilia mouent & afficiunt sensum; rursum nunc confirmauit ad absurdum deducendo, fore scilicet, vt ea non alio modo sentirentur, quam Cleonis filium videatur.

B

TEXTVS.

Τὰ ἐξ ἀδύνατον ἴσθη καὶ συμπλέκοντες ἀδύνατον αἰσθητικῶς, οὐκ ἔστι αὐτῶν, ἀλλ' ἢ πῶς, ὅταν αἴτια ἢ ἀφορμὴ ᾗ ἐν τῷ αὐτῷ γένει. ὅς, ὅτι ἢ ἡ ἀδύνατον καὶ ἡ αἴτια, οὐ γὰρ δι' ἐπὶ τῶν ἢ τῶν ἐπιπέδων, ἐπὶ αὐτῶν ἐστὶν. διὸ καὶ ἀπαρτῶν, καὶ αὐτῶν ἢ ἑαυτῶν, ἡ ἀδύνατον αἰσθητικῶς.

Quæ verò inuicem propria, ex accidenti sentiunt sensus, non quatenus ipsi, sed quatenus vnus, cum simul in eodem sit sensus: velut quod bilis amara & flaua. Non enim alterius dicere, quod ambo vnus. Quare & decipitur: & si quid flauum fuerit, bilem esse putat.

COMMENTARIVS XII.

Quod Philoponus dixit, aliud exponi significatum eius, quod ex accidenti sentitur: Cum vnus sensus obiectum ab alio sensu sentit: verè quidem dictum est. At quorsum id? Duplicem opinor fuisse causam. Alteram; quoniam cum superioribus verbis illud proposuisset, ambigua & obscura visus est oratione vti. Nam cum dulce dixit aspectu sentiri, non explicauit, an per se, an ex accidenti sentiantur. Et quispiam fortasse crederet per se sentiri. Præsertim quod statim subiunxit (sin minus, nullo vtique modo, nisi ex accidenti sentirentur) quasi prior ille modus ex accidenti non esset. Propterea docendum hoc fuit. Alteram, quia cum sensibilia propria à singulis ipsorum sensibus propriis comprehendit traditum iam pridem fuerit: deinde verò etiam communia communi sensu ab omnibus sentiri: tertium nimirum sensuum genus, quæ ex accidenti sentiantur, supererat exponendum.

De Altera horum parte, quæ sensui accidit vniuerso, suâque natura sensibilis non est: iam pronuntiauit, eam nullo modo sentiri; hoc est illius cognitionem ad nullum pertinere sensum; sed ad superiorem quampiam virtutem, nempe ad mentem. Sola relinquatur ea pars, quæ non vniuerso sensui, sed huic vel illi accidit. Nam cum ea sit suapte natura sensibilis, ostendendum est, quoniam modo & quo sensu cognoscatur; quæve sit illa virtus, quæ dum album cerno, dulce cum albo coniunctum persentiat.

Propria igitur obiecta inuicem & mutuo ex accidenti sentiuntur à sensib. illis, quorum obiecta non sunt. Nempe si de proposito exemplo sit sermo, gustatus obiectum ab aspectu, aspectusque obiectum à gustatu, ac eodẽ modo in cæteris obiectis ac sensib. At non quatenus eiusmodi sensus sunt natura inter se & obiecto distincti, aspectus & gustatus: quoniam hoc modo considerati, vt tora suam vim & naturam ex proprio suo acceperunt obiecto, ita nihil præter illud sentire queunt: nec aspectus nisi de colore iudicat, gustatus de sapore. Aliena verò neque per se, neque ex accidenti cognoscunt. Sed quatenus vnus, hoc est, vt interpretantur Græci, quatenus in vnum communem sensum viuuntur. Quæ interpretatio mihi non parum suspecta est. Primum quoniam nihil adhuc de illo communi sensu dictum est: & antequam de eius vsu & operatione dicatur, probandum est eum in animalib. inesse. Nunc autem de solis particularib. affirmatur, eos vicissim vnum alterius obiectum ex accidenti sentire. Deinde is non operatur quidquam, nisi quamdiu particulares sensus exteriores operantur. Quare si aspectus & gustatus simul operantur, opus illo non est ad vtrumque obiectum, albedinem & dulcedinem, persentiendum; nisi cognoscendum sit album esse dulce. Sin autem solus aspectus, non gustatus, sentiat, nihil omnino sensus communis de dulcedine iudicabit. Quod enim inter cæteros ait Philoponus, iudicium hoc ab eo sensu ex colore colligi, perfectò rationatione indiget, rationatiõq. nulla in sensu. Denique si ita esset, non video, quo modo vnus sensus particularis, qui nihil aliud ageret, quam proprium suum obiectum renuntiare communi, propterea dici posset alterius obiectum ex accidenti sentire. Sed & sensui communi ab interpretib. hæc tribuitur id ex accidenti, quod maxime illius proprium est & per se: cognoscere inquam album & dulce, eaque distinguere. Nam etsi Simplicius ostendere conatus sit, quo modo id cognoscatur per se: hæc tamen constare nequeunt. Sed aut sensilia propria non dicuntur ex accidenti sensilia propter sensus communis, sed particularium solum cognitionem, aut communis sensus illa cognitio ex accidenti est, non per se.

Veniens multò Auerroës, quem post S. Thomas sequitur est, cognitionem illam declarauit non esse vnus sensus, sed duorũ simul circa sua obiecta operantium. Est autem duorum, non quatenus distincti sunt, & seorsim vnusquisque sentire posset: sed quatenus vnus quoad actum secundum sensationis, hoc est quatenus simul sentiunt, aspectus colorẽ, gustatus sapore. Sed tamen ne hoc quidẽ exponit quemadmodum vnus sensus obiectum ab alio vicissim ex accidenti sentiatur. Equidem dum Aristotelis verba considero, interpretationẽ Alberti persuaderi mihi sentio; duos sensus non alio modo, quam subiecto, vnum appellari. Itaque vnus sensus obiectum ab alio sensu ex accidenti sentitur, quatenus sensilia eorum obiecta, vt color & sapor, in eodem insunt

corpore. Inde namque fit, vt dum aspectus colorẽ cernit, dulce cum colore coniunctum ex accidenti cernere videatur.

Sanè ita Philoponus ipse interpretatus est. Primum vbi paulò ante dixit Cleonis filium ex accidenti videri, non quòd is videatur; sed quòd videatur album, cui accidit Cleonis filium esse. Quare dum propria quoque sensilia mox ex accidenti sentiuntur, iungit, eodem modo intelligendum est sentiri, quòd vnũ alteri accidat, in eodemq. subiecto consistere. Siquidem quatenus ex accidenti sentiuntur, conueniunt planè hi duo modi sensibilis ex accidenti, eodemque ob causam ex accidenti sentiri dicuntur. Differunt autem in eo, quòd à altero sensu, & sentiri per se vniuerso accidit, nec vnquam per se sentiri potest: alter particulari sensui proprio que ac demerito sensui accidit, cum aliquo alio sensu per se sentiri possit. Deinde cum statim addit (cum insunt in eodem sit sensus.) Hoc enim exponit quo subiecto sensum vnum nominasset. Atque vt ostenderet (in eodem) subiectum significare, in quo duo sensilia propria simul sunt, exemplum bilis subiecti amaræ simul & suauis: quorum alterum gustatus alterum aspectus obiectum est.

Ergò causa, cur obiecta propria, que suapte natura per se sensilia sunt, ex accidenti sentiuntur, eadem est, quia nõ sentiuntur quatenus humani modis sunt, sed quatenus in eodem corpore cum altero sensu obiecto coniuncta existunt. Sentiuntur autem non à proprio eorum sensu (sentitur enim per se ab altero illo sensu, cuius propriũ est id obiectum, cum quo ipsa coniuncta sunt; dum is circa illud operatur. Amaritudo, si per se consideretur, gustus sensibilis per se est. At si in bili cum suauitate tangatur, ex accidenti sentitur ab aspectu suauis bilis insentire. Is circa suauitatem quidem operatur quatenus ipse, hoc est quatenus aspectus est talisque facultas est modi perceptrix obiecti. At circa amaritudinem quatenus ipse (eam enim per se sentit) sed quatenus vnus, hoc est cum suo obiecto coniunctum habens alterius obiectum, coniunctè & simul vtrumque sentit, alterum per se, alterum ex accidenti.

Porrò hoc ita esse, argumento illo confirmatur, quoniam non est alterius dumtaxat horũ sensuum, quæ aspectus, neque gustatus, neque vnus omnino particularis sensus, dicere quòd ambo, suauis & amaritudo, vnum sint, hoc est, in eodem subiecto operantur, & idem corpus suauis sit & amarum. Sed hoc ad diuersos pertinet sensus, ad aspectum subiecti de colore, ad gustatum de sapore. Quoniam hæc propria sunt illorum obiecta, nec facultas vnus nisi de suo obiecto iudicat. Ex quibus verbis vnus intelligas, quomodo paulò ante sensum vnum nominauerit: nepe quòd plurimum obiecta in vno subiecto sunt. Siquidem apertè nunc vnum subiectum dicitur, cum ambo vnum esse pronuntiantur. Et tunc cognosceas, quàm parum ad rem tum hæc, tum antecedentia, de communi sensu à plerisque, exponantur. Quod enim ait, (alterius) relatione ad alterum significat: nec intelligi potest nisi de duorũ sensuum nominatorũ altero. Vt non alterius illorũ, sed vtrumque vnũ vel it esse iudicium illud, eamq. totam cognitionem, de qua loquutus est. Non esse autẽ illorũ alterius solum id iudicare, ostendit ex eo, quòd sapor dicitur aspectus, qui suauis dixerit amarũ esse aut bilem. Etenim fuerit interdum mel, quòd suauis est; at dulce, non amarum. Atqui circa proprium suum subiectum non erat sensus.

aut certe hic apud nos pura & sincera non sunt: aut si de caelesti quoque corpore accipiatur, coloris nomine lux etiam significatur.) Quomodo aspectus magnitudinem poterit à colore, commune à proprio, discernere? At dum cum altero ite sensibili proprio, ut cum calore, tangitur magnitudo; & filo quidem aspectu color percipitur, soloque tactu calor, utroque magnitudo; facile est commune dignoscere atque à proprio separare.

*Proprius
certior
quam
communio
cognitione.*

Nihilominus propriorum sensio exactior est & certior, quam communium: aspectus exquisitè magis ac certò cognoscit album, quam magnitudinem; si singulos spectes sensus. Etenim moventur magis & vehementius à propriis, quam à communibus: eorūque vis & natura ad propria sentienda per se primùm coparata est. Quo fit, ut in communibus, erremus sæpè, in propriis vix unquam. Inimò obscure ac leuiter communia à singulis percipiuntur, cum distinctè ac perfectè sentiantur propria. Certè obscuritas hæc & imperfectio multitudinis ac diuersitate sensuū quoquo modo compenlantur, exactaq; ac certa euadit. Melior tamè adhuc est & exactior ea, quæ propriorū. Quia dum plurium sensuum accedunt testimonia, omnia simul sumpta constant ex singulis, quæ per se obscura sunt & infirma. Quam ob causam cum diceret, si solus esset aspectus, fore ut laterent nos hæc communia sensibilia; non absolute dixit, laterent, sed magis laterent; hoc est minus cognoscerentur. Quia nunc quoque etsi pluribus percipiuntur sensibus, non tamen tam exactè, & clare, quam ea, quæ propria sunt, comprehenduntur, illorūque, comparatione quoquo modo latet. At si solo vno sensu sentiretur, multò magis laterent, vixque omnino cognosceretur.

*Sensibilium
communio
cognitione
ratione
egent.*

Et Simplicius quidem ratiocinatione opus esse dixit: neque negandum est, ut reliquarum omnium rerum, sic horum sensibilibus cognitione ea meliorem fieri. Satis tamen solis sensibus cognoscuntur, tum à nobis, tum à ratione carentibus animalibus. Et si ratio, quæ Simplicius mouit, quia scilicet ea esse genus diuersū à propriis solo sensu non cognoscitur; quidquam valeret, ne propria quidè à propriis ipsorum sensibus absque ratiocinatione cognoscerentur.

Cur igitur tot adhibitis quasi testibus, horum sensibilibus cognitionem in anima confirmari oportuerit, hæc fuit causa: quoniam ea per se ab vnicò sensu obscura, imperfecta, nec distincta tradebatur. Aliam habes apud Philoponū ex Platonis septimo de Rep. & Timæo, ut ipse ait, desumptam. Nam ego illam in locis non reperio. ea est propter maiorem mathematicarum disciplinarum certitudinem. Circa magnitudinem enim & figuram versatur Geometria, circa numerum Arithmetica & Musica, circa motum & quietem Astronomia. Quasi verò bestiis hæc Mathematicæ disciplinæ perdiscendæ forent. Ita non minus illæ, quam nos, communia sensibilia sensibus omnibus comprehendunt. Sed dum de sensibus & sensibilibus est sermo, ne in homine quidem ad mathematicas hæc disciplinas, quæ ab omni sensu sensibiliq; materia abstrahunt solamque magnitudinem & numerum per se consideratum & abstractum velat intellectibilem materiam contemplantur, minime confugiendum est.

Quare ut huic commentario finem imponam, duo in verbis Philosophi adnotabis. Alterum ex omnibus sensibilibus communibus antea memoratis tria hoc loco sola nominari, motum, magnitudinè, numerum: quoniam hæc præcipua sunt, ad quæ cetera reuocantur: quies ad motum, figura ad magnitu-

dinem, vnitas ad numerū. Alterum, cum de aspectu esset sermo, primùm nominari album, deinde quæ accommodatè magis colorem. Animaduertit enim Philosophus, album & magnitudinè dignoscibile atque distingui, etsi aspectu solo cognoscitur magnitudo: quia cum nigro quoque, flamo, & aliis colorum speciebus reperiretur atque aspectu cerneretur. Eodemque argumento, quo nunc aduersus propriorum obiectorum genere distinguitur, quia cum pluribus sentitur, distinguitur quoque à coloris speciebus & partibus. Propterea autem album pro colore nominatum est, ut inquit Simplicius post animaduertio hoc, quod dixi, argueret album in colorem mutauit. Verum eodem argumento coloris voce non solus color, sed aspectibilis magis intelligendū est: ut verum sit, si solus esset aspectus, lateret magnitudo nec posset à calore distingui. Nam si solus intelligatur color, qui lucida quædam astra & tertium illud innotinatum genus quod dicitur in tenebris, cum magnitudine cerneretur, cognoscere utique posset & distingueret.

DIGRESSIO III.

De horum sensuum comparatione.

ERGÒ cum hic finem habeat de sensibus exterioribus disputatio, hanc ego viciniam adiectam clausulam: quinq; sanè exteriores esse sensus, quæ non in omnibus quidè animalibus, sed in perfectioribus saltem inesse; In imperfectissimis autem quosdam sine aliis reperi: Tactum absque calore, gustatum cum solo tactu; tactum, quoniam de odoratum sine auditu, & aspectu: hoc ab illius modo separatos esse posse.

Iam eos rursum considerantes atque inter se comparantes, omnium maxime necessarium cognoscendum esse tactum, sine quo nec animal esse nec sustentari potest. Infimum tamen atque ignobilissimum propter obiecti conditione, quod primæ quatuor simplicissimæ omnium sunt & infimæ. Tum quod nullum habeat certum atque in corporis parte aliqua constitutum, ut ceteri sensus, sed incertum præque totum corpus dispersum, organum, quod maxime materialis sit sensus. Tum verò quia communissimum omnium sit, quicquid in omnibus vel abiectionibus animalibus esse queat atque à sensibus, ceteris, vel materia & dispositio necessaria, supponatur. Operatio autè alteratione reali perficitur qualitatibus, quæ similes sibi alias ex materia potestare educunt: modo scilicet materiali maxime & imperfecte: eorumque organum ex qualitatibus, eisdem componitur, quæ sunt obiectum: quam ob causam, ut in tex. 118. dicebatur, excessum duntaxat quædam illius non totam latitudinem, sentit. Secundum locum habet gustatum, hæc inferior. Tertium odoratum his per similes. Quartum auditus paulò quidem melior & eleuatur, sed quæ localem requirit motum. Optimus omnium est aspectus.

Nam & momento operatur, nec ab alteratione vel locali motu pendet, minimūque patitur ab obiectis. Et ad maximam distantiam operatur: nec circa res modò sublunares & caducas, sed circa celestia quoque corpora; quæ nullo alio comprehenduntur sensu. Obiectum habet lumen, diuissimam qualitatem ab inferioribus, omnibus corporibus, non pendente colorisq; qui inter secundas qualitates maxime præstant. Sed & plurimorum nobis cognitione adiecta, rerumque plurimarum differentias manifestat, ut in præmio metaphysicæ Philosophus loquitur.